

Epirus.

CAP. I.

Epirus ipsa ad Magnesium Macedoniamque tendens, à tergo suo Dassaretas supradictos liberam gentem, mox fera Dardanos habet. Dardanis leuo Triballi prætentantur latere & Mæfica gentes, à fronte iunguntur Mædi ac Denselatae, quibus Thraces, ad pontum usque pertinentes. Ita succincta Rhodopes, mox & Hemi vallatur excelsitas. In Epiri ora castellum in Acrocerauniis Chimæra, sub eo aquæ regie fons. Oppida Mæandria, Cestria, flumen Thesprotia Thyamis, colonia Buthrotum, maximeque; nobilitatus Ambracius sinus, * faucibus spatiosum æquor accipiens longitudinis xxxix. M. pass. latitudinis xv. M. In eum defertur amnis Acheron, è lacu Thesprotia Acherusia profluens xxxvi. M. pass. inde, & mille pedum pote mirabilis omnia sua miratibus. In sinu oppidum Ambracia. Molossorum flumina, Aphas, & Arachthus. Ciuitas Anaëtoria, lacus Pædosia. Acarnania, quæ antea Curetis vocabatur, oppida Heraclia, Echinus, & in ore ipso colonia Augusti Actium, cum templo Apollinis nobili, ac ciuitate libera Nicopolitana. Egressos sinu Ambracio in Ionium, excipit Leucadium litus, promontorium Leucates. Dein sinus ac Leucadia ipsa peninsula, quondam Neritis appellata, opere accolarum abscessa à continente, ac reddita ventorum flatu congerie harenæ accumulanti, qui locus vocatur Dioryctos, stadiorum longitudine trium. Oppidum in ea Leucas, quondam Neritum dictum. Deinde Acarnanum vrbes, Halyzea, Stratos, Argos Amphiloichicum cognominatum. Amnis Achelous è Pindo fluens, atque Acarnaniam ab Aetolia dirimens, & Artemitam insulam assiduo terra inuectu continenti annectens.

Aetolia.

CAP. II.

Aetolorum populi Athamanes, Tympei, Ephyri, Aenienses, Perrhæbi, Dolopes, Maraces, Atraces, à quibus Atrax amnis Ionio mari infunditur. Aetoliae oppidum Calydon est septem milium quingentorum passuum à mari, iuxta Euenum amnem. Dein Macymia, Molycria: cuius à tergo Chalcis, & mons est Taphiassus. At in ora promontorium Antirium, ubi ostium Corinthiaci sinus, minus mille passuum latitudine influentis, Aetolosque; dirimentis à Peloponneso. Promontorium, quod contra procedit, appellatur Rhion: sed in Corinthiaco sinu oppida Aetoliae Naupactum, Pylene: & in mediterraneo Pleuron, Halyfarna. Montes clari, in Dodone Tomarus, in Ambracia Crania, in Acarnania Aracynthus, in Aetolia Acanthon, Panætolium, Macinium.

Locri.

CAP. III.

Proximi Aetolis Locri, qui cognominantur Ozole, immunes. Oppidum Oeanthe. Portus Apollinis Phæstij, sinus Crissæus. Intus oppida Argyna, Eupalia, Phæstium, Calamisus. Ultra Cirrhæi Phocidis capij, oppidum Cirra, portus Chaleon, à quo vij. M. passuum introrsus liberum oppidum Delphi, sub monte Parnaso, clarissimi in terris oraculi Apollinis. Fons

Castalius, amnis Cephissus præfluens Delphos, ortus in Lileæ quondam vrbe. Præterea oppidum Crisa, & cum Bulefibus, Anticyra, Naulochum, Pyrrha, Amphissa immunis. Trichone, Tritea, Ambrissus, Drymæa regio, Daulis appellata. Dein in intimo sinu angulus Bæotia alluitur cum oppidis, Gymnis, Thebis, quæ Corsica cognominata sunt iuxta Heliconem. Tertium ab hoc mari Bæotia oppidum Paga, unde Peloponnesi profilit cervix.

Peloponnesus.

CAP. IIII.

Peloponnesus, Apia ante appellata & Pelasgia, peninsula haud ulli terræ nobilitate postferenda, inter duo maria, Aegæum & Ionium, platani folio similis, propter angulosos recessus, circuitu d. lxxij. M. passuum colligit autore Isidoro. Eadem per sinus pene tantundem adijcit. Angustia, unde procedit, Isthmos appellantur. In eo loco irrumptentia è diuerso quæ dicta sunt maria, à septentrione & exortu eius omnem ibi latitudinem vorant, donec contrario incursum æquorum tantorum, in quinque; M. pass. intervallo, exesis utrinque; lateribus, angusta ceruice Peloponnesum contingat Hellas. Corinthiacus hinc, illinc Saronicus appellatur sinus: Lechea hinc, Cæchrea illinc, angustiarum termini, longo & ancipiti nauium ambitu, quas magnitudo plaustris transuehi prohibet. Quæ ob causam perferdere nauigabili alueo * angustias tentauere, Demetrius rex, dictator Caesar, C. princeps, Domitius Nero, infauso (ut omnium patuit exitu) incepto. Medio hoc intervallo, quod Isthmon appellauimus, * applicata colli habitatur colonia Corinthus, antea Ephyra dicta, sexagenis ab utroque; littore stadiis, è summa sua arce quæ vocatur Acrocorinthus, in qua fons Pyrene, diuersa duo maria prospectans lxxxvij. M. pass. ad Corinthiacum sinum traiectus est Patras à Leucade. Patrae colonia in longissimo promontorio Peloponnesi condita ex aduerso Aetoliae, & fluminis Eueni, minus M. pass. (ut dictum est) intervallo, in ipsis faucibus. Sinus Corinthiacus lxxxv. M. pass. in longitudinem usque; ad Isthmon transmittunt.

Achaia.

CAP. V.

Achaia nomen prouinciæ, ab Isthmo incipit: ante Aegialos vocabatur, propter vrbes in littore per ordinem dispositas. Primæ ibi quas diximus, Lechea Corinthiorum portus. Mox Oluros, Pelensorum castellum. Oppida Helice, Bura, in quæ refuge-re haustis prioribus, Sicyon, Aegira, Aegio, Erineos: Intus Cleone, Hysia. Panormus portus, demonstratumque; in Rhium, à quo promontorio quinque; M. pass. absunt Patrae, quas supra memorauimus. Locus Pheræ in Achaia ix. montium Scioessa notissimus, fons Cymothoe. Ultra Patras oppidum Olenum, colonia Dyme, loca Buprasium, Hyrmine, promontorium Araxum. Cylene sinus, promontorium Chelonates, unde Cylene duo M. pass. castellum Philus. Quæ regio ab Homero Arethyrea dicta, postea Asophis. Inde Eliorum ager, qui antea Epei vocabantur. Ipsa Elis in mediterraneo;

* faucibus d. pass. spatiosum

* angustias eas tent.

* applicatu